



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

c. 3. Filij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Gregorius IX. Rehemensis Archiepiscopo,
& suis suffraganeis.

Propter crimen heresis clericum in quibuscumque sacris ordinibus constitutum, solus eius Episcopus degradare poterit. hoc dicit Domi. Cap. I.

† Vide e. de gradatio. de pœn. lib. 6. de quo auctor paulo post. & 3. p. post. modum nonum processum si dei terminandi.



VONIAM † episcoporum numerus ad degradationem clericorum à Canonibus constitutus, non potest de facili conuenire: Concedimus ut sacerdotem, vel alium clericum in sacris ordinibus constitutum (cum pro hæresi fuerit seculari curiæ relinquendus, aut perpetuo immutandus) conuocatis Abbatibus, aliisque prælatis, & religiosis personis, ac litteris sue diocesis, de quibus expedire videbitur, suus solus possit Episcopus degradare.

Alexander III.

Excommunicationem incurrit sepeliens scienter hereticos, vel eorum receptores, defensores, vel fautores, nec absoluitur, nisi exhumet eorum corpora: locus vero priuatur sepultura. hoc dicit usque ad §. inhihemus. Domi.

CAP. II.

† Eyme. 3. p. 9. 40. vbi dicitur.



VICVNQVE † hereticos, credentes, receptores, defensores, vel fautores eorum, scienter præsumperint ecclesiasticæ tradere sepulture, vsq; ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiicere. Nec absolutionis beneficium merentur, nisi proprijs manibus publicè extumulent, & proieciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus perpetua careat sepultura.

Excommunicari debent laici publicè uel occultè disputantes de fide. hoc dicit Domi.

† C6cor. tex. in c. cū ex in p̄cto. & c. si ead. d. hæret.

Inhihemus † quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel priuatim, de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

Non valet promotio hereticorum, eis credentium fautorum, receptorum, & defensorum eorum, nec filiorum suorum, vsque ad secundam generationem ad beneficia ecclesiastica, vel officia publica. b. d. Domi.

† Hoc declarat tex. in c. statutu, el. 2. in fra hoc tit.

Heretici † autem, credentes, receptores, defensores, & fautores eorum, ipsorumq; filii vsq; ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

A Priuati sunt, habentes beneficia ecclesiastica ad preces hereticorum: & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, si scienter talia receperunt. hoc dicit Domi.

Ad hæc, † quoscunque viros ecclesiasticos, qui ad præces huiusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcunque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti: ex nunc priuamus taliter acquisitis, volentes, quod tales, & habitis careant perpetuo: & si receperunt illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur.

Nulla est emancipatio filiorum, vel subditorum per hereticos facta: etiam si postea vitium detegatur. hoc dicit Domi.

B Illorum † autem filiorum emancipatione, quorum parentes, post emancipationem, etiã huiusmodi apparuerit ante ipsam à via veritatis ad hereticam superstitionis inuium declinasse, nullius uolumus esse momenti, velut factam de hominibus sui iuris: cum dignum sit, ut propter tantam atrocitatem delicti, filij esse in parentum hereticorum deseriant potestate.

Idem Inquisitoribus hereticæ prauitatis.

Filij vel hæredes petentium in infirmitate sua hereticorum consolationem, non admittuntur ad probandum, quòd non sana mente vel perdita loque la susceperint, si constat, quod erant sanæ mentis, vel si prius suspecti vel diffamati erant de hæresi: alias admittuntur, scilicet per testes fide dignos, non suspectos. hoc dicit Domi. Cap. III.



FILII † vel hæredes illorum, qui dum in ægritudine lecto decumberent, petierunt hereticos consolationem, ut ab eis per manus impositionem consolationem reciperent,

secundum pessimam consuetudinem eorundem, sicque uiam fuerint uniuersæ carnis ingressi, ad probandum quod ipsi defuncti consolationem illam, immo uerius desolationem non sanæ mentis effecti susceperint, vel post perditam iam loquelam (cum tamen moris sit) ut dicitur (apud eos, quod nullum taliter consolentur, qui non sit sanæ mentis, & memoriam habeat ordinatam) admitti non debent: si dum uiuebant, diffamati erant de hæresi, vel suspecti; aut legitime constituti, quod sanæ mentis existentes, huiusmodi hereticos petierunt: Alioqui admitti poterunt prædicti filij, vel hæredes ad probandum præmissa. Non tamen per uxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores.

Idem